



ROLOUO filius fuit Helgonis regis Daniæ , quæ per ignorantiam ex Vrſa propria filia progenuit. Verum is generis sui ignominiam omnis generis uirtutibus resarcuuit. Erat enim uir corporis animiç̄ dotibus uenustus, qui staturæ magnitudinem pari uirtutis habitu commendaret. Itaq; post patris mortem Rex Daniæ electus est, cui regnum etiam Suetia suberat. In ea excellentia constitutus, Atislum matris suæ Vrsæ maritum & Suetię gubernatorem, magna patientia superauit, & eius auaritiam insigni liberalitatis exemplo correxit. Ferunt illum quicquid posceretur, primæ supplicationi prompta liberalitate præstare solitum, nec unquam ad secundam petentis uocem distulisse rogatum, quæ res ei maximam athletarum frequentiam conciliauit. Cum hoc modo magna gloria præ esset, sororem suam Sculdā magni acuminis iuueni Hiarthuero matrimonio collocauit, atq; eum annuo uectigali imposito, Suetiæ præfecit, circa annum mundi 3150. Verum Sculda superbia incensa, maritū eò redegit, ut Roluonem affinem, nil tale expectantē, per insidias cum armatis militibus noctu aggredieret, atq; tandem post longā concertationē cum suis satellitibus trucidaret, magno omnium subditorum luctu. Sax.lib.secundo Daniæ. Verum Ioannes Magnus hanc historiam ad suæ gentis laudem deflexit. lib.2, cap.21.